

*seph Dobrovius* interpretatus est: *Karel Starší z Žerotína*, id est *Carolus Senior de Žerotín*. Vide, si lubet, ejus *Literar. Magazin für Böhmen und Mähren*, II. St. Prag. 1786. p. 33. et III. St. 1787. p. 51. ubi et eruditorum Virorum *Zlobitzkii* et *Durichii* in inclitum istud Bibliorum Exemplar habes Observata. Posterior, meus in Bohemicis *Odňyos*, ejus non raro etiam T. I. egregiae suae *Bibliothecae Slav.* meminit.

XLI.

U. 3 Codex partim membraneus, partim chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 342. f. commode perscriptus, rubricisque distinctus *Vetus Testamentum* continet praevia hac nota: *Hunc librum dedit pro libraria domus Collegij ducalis Clarissimus ac doctissimus vir magister Rupertus weissenburger ex pruck in sacra theologia professor fundatissimus Insuper ecclesie sancti stephani wienne canonicus predignus cuius anima deo viuat eternum feliciter.* Post alios Magistratus Academicos gestos vir hic *Leitae-pontanus* Rector praefuit a. 1469. quo simul sacras Literas exponebat. Libri porro hoc ordine se excipiunt: *Pentateuchus*, *Josue*, *Judicum*, *Ruth*, *IV. Regum*, *II. Paralipomenon*, *Esdras* cum *Nehemia* adjuncto *Libro III. apocrypho*, qui hic II. dicitur, *Tobias*, *Judith*, *Esther*, *Job*, *Machabaei*, et *Psalterium*. Omnes ab litera cubitali eleganter picturata auspiciantur, et *Hieronymi Praefationi-*

bus gaudent. Praeterea finguli *Libri Moysi* Indicem *Capitum* suorum praeferunt. *Paralipomenis* subjuncta est propria rubrica *Oratio Salomonis*; illa videlicet, quae paucis mutatis legitur *L. III. Reg. c. 8. v. 23. Psalterium* denique non *vulgatum* est, sed ab *Hieronymo* ex *Hebraeo* versum, prout extat in *Operibus D. Doctoris*, et in *Sabaterii Bibliorum Sacr. Latinis Versionib. antiq. Remis 1743. T. II. p. 9. f. Psalmo* tamen 2. Codex legit: *Quare turbabuntur pro turbantur*, et, *Ego autem ordinavi Regem pro orditus sum*, quae lectiones *Sabaterio* non videntur occurrisse. Et sic totum *Psalterium* examinari mereretur. Adjecit Librarius ad ejus calcem spurium illum Psalmum: *Puillus eram &c.* de quo *Fabricii Codex Pseudepigr. V. T. p. 905.* Etiam hic: *Quis annunciauit de me Domino meo*, quod non est in graeco: *τις ἀναγγελοι τῷ κυρίῳ μὲ.*

XLII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. R. 824 Folior. 456. f. max. per duas columnas probe scriptus, et picturatis initiorum literis decoratus continet sacra *Vet. Test. Biblia*, demto *Psalterio*, vulgatae interpretationis cum Prologis *Hieronymi*, ordine consueto. Liber *Nehemiae fol. 205. p. 2.* ad calcem dicitur *liber Esdras secundus*, et tamen *Esdrae tertius*, qui sequitur, etiam inscribitur *Secundus*. Inter hos duos Libros insertum est: *Hic est ordo legendarum hystoriarum*